

Cod. Paris. Lat. 1458
f. 197'—198'.

Cap. I. A corepiscopis asseris multas esse in regionibus vestris ordinationes presbyterorum et diaconorum effectas, quos quidam episcoporum deponunt, quidam vero denuo consecrant. Nos vero dicimus nec innocentes oportere percelli nec ullas debere fieri reordinationes vel iteratas consecrationes. Ad formam enim septuaginta corepiscopi facti sunt, quos quis dubitet episcoporum habuisse officia? Sed quia sacri canones [vetant^a], ne omnes sibi omnia vindicent, ac per hoc dignitas episcoporum ad corepiscopos suos videatur transferri fiatque vilior honor episcopi, decernimus nihil in hoc praeter regulas ulterius fieri.

Cap. II. Primates autem nihil privilegii habere praeter ceteris, nisi quantum sacri canones concedunt et prisca consuetudo illis antiquitus contulit, diffinimus, ita ut secundum Nicenas regulas¹ suis privilegia serventur ecclesiis, praeter si apostolica sedes aliquam ecclesiam vel rectorem ipsius quolibet speciali privilegio decreverit honorare.

Cap. III. Praeterea sciscitaris, utrum solis presbyteris

Cod. Vatic. Lat. 466 f. 55—55'.

Conquestus est apostolatu nostro frater noster Sigebodus^b archiepiscopus Narbonensis, quod clericos suos eo invito ad iudicium tuum venire compellas et de rebus ad ecclesiam suam pertinentibus eo inconsulto quasi iure patriarchatus tui disponas; cum hoc nec antiquitas, cui patres sanxere reverentiam, habeat et auctoritas sacrorum canonum penitus interdicat, nisi forte pro causis, quas apud se terminare^c non possunt, ad te quasi ad patriarcham suum provocaverint^d, vel si episcopus suus decesserit, res ecclesiae suae iudicio tuo dispensare voluerint.

Primates enim vel patriarchas nihil privilegii habere praeter ceteris episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt et prisca consuetudo illis antiquitus contulit, diffinimus, ita ut per Nicenas regulas sua privilegia serventur ecclesiis, praeter si apostolica sedes aliquam ecclesiam vel rectorem ipsius quolibet speciali privilegio decreverit honorare.

Praeterea sciscitaris, utrum solis presbyteris an et diaconibus debeant,

a) Fehlt Hs. b) 'Siggegodus' Hs. c) 'terminari' Hs. d) 'per appellationes' fügen die Drucke hinzu.

1) c. 6, Mansi II, 671.